

consentiunt, Deum omnia propter se ipsum creasse, ex quo concludimus, non solum amorem nostrum naturalem à Deo nobis impressum, ad Deum tendere; sed etiam nostram cognitionem ad eundem collimare, ut & ea cognoscat aliquid, quod in Deo est. Si Deus mentem faceret propter terram, tunc mens ista terram cognosceret, sed nos Deus propter se ipsum fecit, ergo & Deum ipsum cognoscimus. Quemadmodum dicere possum, nos nihil amare, nisi nobis Deus impressisset amorem ad Deum ipsum se dirigentem; ita eodem jure dico, nos non cognoscere quicquam, nisi Deus nobis donasset cognitionem Deum respicientem. Egregiè nobiscum consentit B. Augustinus passim L. VI. de Musica. Tria docens rerum esse genera: primum eorum, quæ sensus cernit & tangit; alterum simile corporalibus, sicuti sunt ea, quæ spiritu cogitata imaginamur, sive recordata, vel oblata quasi corpora intuemur. Hæc scilicet ad vim imaginatricem pertinent, quæ res etiam absentes nobis exhibemus. Tertium est, ab utroque discretum, quod neque sit corpus, neque habeat similitudinem corporis, sicut & sapientia, quæ mente intellecta conspicitur, & in cujus luce de his omnibus veraciter judicatur. Et præcipue de hoc ultimo lumine inquit: *oportet animam & regi à superiori & regere inferiorem. Superior ille solus Deus est, quare intenta in Dominum intelligit aeterna ejus, & magis est, magisque est ipse servus in suo genere per illam &c. l. c. c. V. p. 369.* Plura, quam animus erat, de duplici luce rationis protulimus, nunc pergemus ad alterum, nimirum ad motum mentis, sive ad Voluntatem.

§. XVIII.

*libra cum
una libra
comparatur
judicium*
Motus est alterum, quod in lunâ observandum esse diximus, cum quo nunc nostram voluntatem comparare propositum est. Motus lunæ est modificatio ejus, non verò res ab ipsâ lunâ diversa. Voluntas non est res à mente nostra diversa, sed tantum certa ejus modificatio, quæ ista apta est, sese ad res ab intellectu consideratas & representatas movere, easque vel affirmare vel negare. Duplicem in lunâ observant Mathematici motum, quorum alterum libratorium, alterum periodicum appellant; & duplicem in mente cognoscimus motum, alterum Judicium, alterum Ratiocinationem appellabimus. Prior librationis motus, quò luna uno alteroque motu ab Austro in Boream & vicissim, tum ab ortu in occasum agitatur, à Cassianò ex lunæ maculis circa ejus margines vel repente apparentibus, vel iterum oculis subductis demonstratur; ut refert Autor